



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XX. Anno I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

patuerit locus per Frisiam & Westphaliam, unde cecinit Laudator Guifonis :

Erectas noviter Christi Guiso aspicit aras

In Friso pariter Westphalicoque solo.

Sedit an. 14. mortuus an. 708.

SECVLUM VIII.

XX, ANNO I.

Anno I. Episcoporum duorum virtutum decore clarissimorum socius nondum Episcopus, cum utroque multa agere, & pati multa didicit, præsertim verò ea tempestate, qua D. Lambertus Trajecti Episcopus Pipini Heristalli adulteria perstrinxit virgulâ censoriâ, ob id ipsum à Dodone adulterantis fœminæ fratre occisus. Alter fuit D. Ludvvinus Trevirensium Archi-Episcopus virtutibus & miraculis celeberrimus. D. Suibertum ex Anglia venientem excepisse scribitur Anno etiam; verùm repugnare videtur temporis ratio; aut annis centum & pluribus vixisse D. Suibertum oportet, quem sub Seculi VIII. finem, & sub Seculi IX. initium Verdensium Episcopum primum fuisse novimus an. 809. mortuum. Annonem verò mortuis annumeratum jam fuisse an. 709. testantur Annales Coloniae. Vitio Annoni verterunt multi, quòd D. Lamberti exemplum minùs strenuè sit secutus in castigandis Procerum vitiis publicis.

XXI, PHARAMVNDVS.

Pharamundus post Annonem unius anni duntaxat Episcopum Coloniensi Ecclesiæ annis duobus præfuit. Longiori fortassis tempore Trajectensem tulit Infulam, postquam D. Lambertus in exilium pulsus, contra vitium pro virtute perorare non destitit: in hujus enim viduam Sedem intrusum fuisse memorant Leodii Scriptores.